Diſputatio
DE MVTVO,

in qua,

ADIVVANTE ET FAVENTE DEO,

PRAESIDE CLARISSIMO VIRO, DOMINO HEINRICO BOCERO, I. V. DOCTORE, PVBLICI EXercitij gratia, in Auditorio I. Ctorum, 9. Aprilis, hora conſueta, pro ingenij viribus reſpondere conabitur

M. PHILIPPVS ENGELHART
Tubingenſis.



TVBINGAE,
Excudebat Georgius Gruppenbachius.

CIↃ IↃ XIVC.

NOBILITATE VERA, ANTIQVA VIRTVTE AC FIDE, DOCTRINA SINGVLARI, MAGNOQVE plurimarum rerum vsu præstantibus ornatisque viris:

DOMINO FRIDERICO SCHYZIO: ET DOMINO IOANNI MOSERO: I. V. Doctoribus consultissimis, & Illustriss. Ducis Vvirtembergici Consiliarijs prudentissimis: Dominis & Patronis suis summo studio reuerendis.

CLARISSIMO ITEM VIRO, DOMINO M. LEONHARDO ENGELHARTO: GYMnasiarchæ Vvirtembergico: Patri suo carissimo& exoptatissimo:

OB BENE DE SE MERITA, GRATItudinis & officij causa,

M. PHILIPPVS ENGELHART
D. D.

Diſputatio
DE MVTVO.

PROPOSITIO PRIMA.


Vtuum; ſiue (quod idem eſt) mutui datio, eſt contractus re initus, de quantitate data, in eodem genere, non ſpecie eadem, reddenda.

II.

Quantitatis vocabulo ſignificantur res, pondere, numero, vel menſura conſtantes: non tamen valor aut æſtimatio, ſed ſumma illarum.

III.

Diuiſionem autem mutui, à gl. & Dd. traditam, qua aliud dicitur ciuile, aliud naturale tantum, aliud ciuile & naturale ſimul, planè reijcimus.

IV.

Si quis tamen mutui ſpecies requirat, ex eo petendæ & conſtituendæ forent, quòd aliud conſiſtat in pondere, aliud in numero, aliud in menſura.

V.

Mutuum dare poſſunt Domini rerum, qui cõſenſum præbere queunt, ſuarumque rerum adminiſtrationem habent.

VI.

Nam in mutui datione, ipſum dantem Dominum eſſe oportet: vnde, ſi fur, vel quis alius, rem tibi alienam credendi animo dederit, accipientis non faciet;

nec eam condicere à mutuatario poterit, nec etiam à fideiussore, nisi eam in stipulationem deduxerit.

VII.

Pupillus quoque sine tutore, item furiosus, & prodigus (cui licet iure communi scripto ipsa lege bonorum administratione interdictum sit: ex communi tamen Dd. sententia, quam praxis obseruat, & iure huius VVirtenbergiaci Ducatus, quamuis reuera notoriè prodigus sit, tamen ad effectum, vt bonis ei sit interdictum, sententia declaratoria requiritur) mutuum dare non possunt.

IIX.

Si tamen pecunia aliena, vel quam pupillus, furiosus, prodigus, quasi mutuam dederint, consumpta sit, vtilitatis causa receptum est, vt mutuum concilietur: sicut, si debitor tam diu pecuniam possederit, vt eam vsu ceperit: Et his casibus fideiussor acceptus tenetur.

IX.

Non solùm autem nos ipsi, sed & alij pro nobis, mutuam dare pecuniam possunt. Si enim meos nummos tuo nomine dedero, vel tuos, etiam absente te & ignorante, Aristo scribit, acquiri tibi condictionem.

X.

Quòd si absentis pecuniam, nomine eius mutuò dedisti, ac reprobato nomine mandatis actionibus experiris, præses prouinciæ iurisdictionem præbebit. Idem, si cessare mandatum animaduerterit, vtilem tibi aduersus debitorem actionem eo nomine non negabit.

Filius

XI.

Filius quoque familiâs, & ſeruus, nummos peculiares mutuò dantes, patri, itemque Domino mutuatarium obligant.

XII.

Quòd ſi mutuam accipiant pecuniam Adminiſtratores ciuitatum, eatenus obligantur ciuitates, quatenus in Reipub. vtilitatem pecunia verſa eſt: alioqui ipſi ſoli, qui contraxerunt, non ciuitates, tenebuntur.

XIII.

Creditor autem probare tenetur, in vtilitatem ciuitatis verſam fuiſſe mutuam pecuniam: Ad quam probationem ita peruenire poterit, ſecundum Bart. ſi adminiſtratorem interpellauerit, vt is liti contra ciuitatem motæ aſſiſteret, & verſionis probationes ſuggereret: vel, ſi officium iudicis implorauerit, vt adminiſtrator cogeretur oſtendere, quò peruenerit mutuum.

XIV.

Similiter obligatur ciuitas, ſi eius conſilium omnes ciues repræſentans, mutuam acceperit pecuniam: non etiam ſi Conſules atque Senatores tantùm pecuniam mutuò ſumpſerint: niſi illi omnes ordines repræſentent, & de quauis re ſtatuendi, ſine aliorum conuocatione, facultatem habeant.

XV.

Ijs autem caſibus, quibus ciuitatem obligari diximus, ipſi ciues non ſingulariter, ſed in vniuerſum obligati ſunt, ita, vt executio, non in bona ſingulorum, ſed in vniuerſitatis bona fieri debeat, niſi ob

causam necessariam Magistratus singulos ciues obligauerit.

XVI.

Si tamen bona communia non sufficerent, Magistratus, indicta collecta, vt in commune tantum conferant, quo æs alienum exolui queat, ciues licitè cogere potest.

XVII.

Non autem in solidum singuli ciues, sed pro virili saltem obligati videntur.

XIIX.

Filiosfamiliâs mutuam pecuniam sumentes, S.Ctm. Macedonianum obligari vetat.

XIX.

Quòd si filius fam. pecuniam mutuatus soluerit, patri, nummos vindicanti, nulla exceptio obijcietur: sed si fuerint consumpti à creditore nummi, Marcellus ait cessare condictionem: Iulianus verò, patri ex omni euentu condictionem competere affirmat, & rectè quidem, præsertim si creditor mala fide nummos consumpserit.

XX.

Pupillus infantiæ proximus, mutuam pecuniam sine tutore accipiendo, ne quidem iure naturali obligatur: nisi locupletior eo contractu factus sit.

XXI.

Pubertati autem proximus, licet non factus locupletior, etiam sine tutoris authoritate naturaliter obligatur: at locupletior factus, etiam ciuiliter tenetur, ex rescripto D. Pij.

XXII.

Similiter & pubes minor 25. annis, si absque curatoris

toris sui consensu, mutuam acceperit pecuniam, non obligatur, nisi in quantum locupletior factus fuerit.

XXIII.

Quòd si minori, Curatorem non habenti, pecunia mutuò detur, tunc is obligatur quidem, sed restituitur in integrum: nisi creditor eum locupletiorem factum probauerit.

XXIV.

Porro, mutui datio in his consistit rebus, quæ pondere, numero, mensura constant: quoniam earum datione possumus in creditum ire, quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem magis, quàm specie.

XXV.

Si quoque corpus detur & accipiatur vt quantitas, rectè in eo consistet mutuum: veluti, dato grege ad numerum, vt totidem capita reddantur: vel dato pane ponderis certi, vt eiusdẽ ponderis alius panis reddatur: vel piscibus in pondus datis, aut carne, aut ligno: nam & hæc appendi & mensurari solent.

XXVI.

Præterea mutuum non potest esse, nisi proficiscatur pecunia: vnde, si decem dem, & pasciscar vt viginti mihi debeantur, non nascitur obligatio vltra decem: Re enim non potest obligatio contrahi, nisi quatenus datum sit.

XXVII.

Quandoque autem, licet reuera non proficiscâtur pecunia â mutuatore ad mutuatarium, tamen profecta videtur, quasi breui siue longa manu data. Nam ex quolibet contractu, debita pecunia, sola pactione

mutua

mutua pecunia fieri poteſt: & quidem non ſolùm in duabus perſonis, ſed etiam in perſona eadem, ex Vlpiani ſententia, licet ante ipſum Africanus hoc non probarit.

XXIIX.

Si quoque lancem tibi vel maſſam auri aut argenti dederim, vt eam venderes & nummis vtereris, tuque vendideris, mutuam pecuniam eſſe factam cum Vlpiano aſſerimus: quamuis ante ipſum Africânus hoc caſu pecuniam creditam negarit.

XXIX.

Quæ res autem hîc creditur, ea danda eſt, hoc eſt, Dominium eius in accipientẽ eſt transferendum: & quidem gratuitò, ſine vſuris, non ſolùm iure Diuino & canonico, ſed etiam ex conſtitutionibus imperij: item Illuſtriſſ. Ducis Wirtenbergenſis.

XXX.

Ex hoc, vtpote iurisgentium, contractu, naturalis naſcitur obligatio, præbens actionem, quæ vocatur certi condictio, item actio ſi certum petatur: Et vnam eſſe certi condictionem generalem, eiuſque multas numerari ſpecies ſingulares defendemus, reiecta opinione eorum, qui certi condictionem ſpecialem ex mutuo tantùm, generalem verò certi condictionem ex omni alia cauſa, ex qua certum petitur, dari volunt.

XXXI.

Etſi mutui datio non in diem, ſed purè facta ſit, tamen congruum aliquod repetendi ſpacium, ex qualitate perſonarum & negocij tacitè ineſt.

Ab

XXXII.

Ab hac actione, incendium, vel alius fortuitus casus debitorem non liberat.

XXXIII.

Reddenda verò est res credita in eodem genere, eademque bonitate & qualitate, quamuis hoc nominatim cautum non sit: nec creditor ad recipiendum genere aliud, quàm quod dedit, inuitus compelli potest: nisi vt aliud daretur, conuenerit: vel debitor idem soluere nequeat.

XXXIV.

Hinc creditor nouum vinum pro veteri, aut alterius sortis nummos, si ex ea re damnum aliquod passurus sit, accipere cogendus non est.

XXXV.

Hinc etiam nummorum potestate & valore à contractus tempore mutato, non eadem summa eorundem nummorum, sed æstimatio, quæ credita dicitur, reddenda est: Et proinde creditis aureis, si pretium eorum postea decreuerit, debitorem plures aureos, quàm accepit, reddere oportet: item si pretium creuerit, creditor non tot aureos, quot crediderat, petere potest.

XXXVI.

Si tamen contingeret, aureum valere minorem solito numerum solidorum, quòd hi ceperint meliores & fortiores cudi, sufficiet debitori, totidem aureos restituere, nec tenebitur supplere numerum solidorum nunc deficientem.

XXXVII.

Quod si vinum quod mutuum datum erat, per

iudicem petatur, quæstionis est, cuius temporis æstimatio fieri debeat? vtrum cùm datum esset, an cùm lis contestata fuisset, an verò cùm res iudicaretur? Et Sabinus respondit, si dictum esset quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset: si non, quanti tunc, cùm petitum fuisset: Idem quoque de loci pretio respon dit, vt si conuenisset vt certo loco redderetur, quanti eo loco esset: si dictum non esset, quanti, vbi esset petitum.

XXXIIX.

Etsi autem iure huius Wirtenbergiaci Ducatus, pecunia credita quæ in diem debetur, ante diem, etiam inuito creditori rectè soluatur: Aemil. tamen Ferret. & Iac. Cuiacius non insubtiliter disputant, iure communi secus esse, licet alij plerique contradicant.

XXXIX.

Neque verò permittitur regulariter, vt debitor, inuito creditori, debitum particulatim soluat.

XL.

Et licet in delictis, debitor, qui non habet in ære, pœna corporali affici possit: illud tamen in mutuo & alijs contractibus non procedit: nisi suo vitio, non fortuna ad inopiam fuisset redactus.

XLI.

Denique creditor, qui ad ædificiorum restitutionem nominatim credidit, ob pecuniam datam tacitum pignus ædificiorum, & in eam pecuniam, quam credidit, priuilegium exigendi habet: etiam iure huius Wirtenbergiaci Ducatus.

COROL-

COROLLARIVM I.

PActa ſtricti iuris contractibus, quale eſt mutuum, etiam in continenti adiecta, ex parte actoris ineſſe iure ciuili ſcripto, negamus.

II.

Negamus item legitima pacta, vt ſunt pacta conſtitutæ pecuniæ, donationis, dotis, Hypothecæ &c. contractus eſſe, licet obligationes & actiones pariant.

III.

Contrà affirmamus, contractum emptionis cenſuum, ſeu annuorum redituum, licitum & non vſurarium eſſe, ſiue reditus conſtituatur in pecunia, ſiue frumento, vel alijs rebus, modò ſecundum conſtitutionem Caroli V. pro centum, duntaxat quinque dentur & accipiantur.

F I N I S.

